

BIBLIOTEKA


Zakł. Nar. im. Ossolińskich


XVII

2069










ORATIO DE VITÆ PURITATE.

In proximis supplicationibus Academicis Quatuor
Temporum S. Luciaæ, pro Serenissimi
REGIS & totius REGNI POLONIÆ
prosperitate: & in
DD. FUNDATORVM ACADEMIA
pia commemoratione, Anno Salutis XXVI.
supra M. DC. xvij. Calend. Ianuarij.
in Ædib. Sanctorum Omnim
Habita.

Per
M. ADAMVM OPATOVIVM
S. Theol. Professorem, ad S. Anne
Decanum.

C R A C O V I A E.
In Officina Typographica Francisci Cæsarij. 1627.



VT REX bellipotens, vnâ prudensq; SENATVS
Polleat, & Lechi stirps generosa diu.
Sæpius ingeminans meritis ACADEMIA votis,
Cælitum sanctas pulsat obinde fores.



XVI - 2069-II



N O B I L I S S I M Æ
I V V E N T V T I
A C A D E M I C Æ,
P R O V I S O R N O V O D W O R S C I A N V S
S. P. D.

HOC quidquid est, de puritate vita
elaboratum, tibi o nobilissima Ju-
uentus debetur, ut te in vita tua in-
nocentia, quam ingressa es, tuenda,
Et in laborioso virtutum progressu,
quem eadem opera, cum studiis literarum urgere
debes, confirmare possit. Aetas hec tua mollis est,
Et in quamvis partem facile flexibilis, eademq; in-
star lane candidæ, apta Et capax ad quemvis colo-
rem, siue boni, siue mali, concipiendum. Vita verò
tunc cursum, tot illecebrae maleficiæ, ocij, voluptatis,
tanquam Syrenes, quæ plurimis mentem excanta-

Iuuentuti Acad.

runt; Et naufragio perdiderunt, circumsistunt. Ad
quas fraudes auertendas, non tamen tibi aures, Ulysses.
et cera obstruenda, quam animus preceptis ac institu-
tis sapientie, muniendus. Quorum iam nonnulla,
in hac nostra lucubratione, etiam ex diuinis oraculis
desumpta, agnoscere poteris. Hoc denique unum u-
nicè ex animo tibi cupio, ut hunc florem iuuentutis,
postquam cupiditates loris diuini timoris frenaueris,
Et in bonis literis Et virtutibus exercueris, Et cum
in etatem virilem commutaueris ad negotia Eccle-
siae Et Reipub. cum dignitate obeunda promptum
Et expeditum reddas, Et quam diutissimè prospice-
ra valetudine fruaris. Et Collegio Maiori,
Calen. Ianuarij.

ORATIO

De puritate vitæ.



Redo ego, Auditores, illos mortaliū summē esse fālices, qui huius fallacis vitæ, varijs curarū studijs ex animo sublatis; omnem industriā ac sollicitudinem, ad vitam praeclarē & laudabiliter transigendam, & exoptato fine æternæ beatitudinis coronandam, contulerunt. Veniet enim, mihi credite Audit. veniet nobis etiam inuitis, illa summa dies, illud ineuitabile tempus, quo anima vniuscuiusq; nostrum, solutis compagibus huius terreni domicilij, ad authorem suum, rationes benē ac malē gestorum redditura, euolabit. Quis nunc nobis daret præpetes pennas, non columbarum, quarum remigio per aëra vehamur; sed coelestium spirituum, ardantis contemplationis, quibus ex hac mole corporis abrepti, iam vsq; ad supremum tribunal perueniremus, ibiq; liceret nobis interesse, qua seueritate sententiæ indignantis iudicis, mali ad pœnas destinantur: & qua vocis iucunditate, boni ad premia vitæ æternæ capienda, inuitantur. Evidem vna voce confiteremur, illos ex omnibus sapere, qui in hac præsentis vitæ temptationum fluctuatione, foli Deo placere student, nec vlla vi ferocientis crudelitatis, nec

vllis illecebris blandientis voluptatis, à custodia diuinorum mandatorum, abduci se patiuntur. Illos verò summoperè deplorandos esse, qui cupiditatibus carnis, ac desiderijs huius mundi irretiti, iugum peccatorum graue tolerant, cum Deo perpetuas inimicitias exercent, dum se socios, illius nomini ac cultui infensissimis hostibus adiunixerunt: atque ex vitæ suæ impuritate, tanquam ex machina bellica, eademque monstrosa ac teretima, ac in illud numen supremum directa, quotquot ausus nefarios, sanctissimas illius leges temerantes emittunt, tot quasi globos igne malitiæ, ac odij in Deum concepti, excalefactos, & flagrantes ejaculantur. O nimis stulta hominum audacia, si cupiditate excæcata non aduertis, quam grauem & viribus imparem, aduersariam suscepereis! studium mundi, & rerum fallacium imprudens obsequium, eò te dementiæ perduxit, ut contra Deum, arma temeritatis sumere audeas! O vanas hominum curas! ô quantum est in rebus inane! Lassati sumus in via iniquitatis, vias difficiles ambulauimus; legem autem Domini, cuius iugum suave, & onus leue, ignorauimus! Et cùm his diebus, aduentum Dei in carne nostra, pia recordatione recolimus; veniat quæso nobis in mentem, eiusdem Dei aduentus ad nos, cum terribili potestate iudicis, cum impietati perpetuos ac ignominiosos cruciatus decernet, pietati verò æterna, & nunquam intermori-

tura

De puritate vite.

tura trophæa immortalitatis reddet. Et huius præmij,
ac coelestis gloriæ, si cohæredes esse exoptamus, vitæ
puritatem amplectamur; & de hac in præsentia dice-
re constitui; si consueto Ecclesiæ cantu diuini numinis
auxilium implorauerimus. Magnum quiddam est,
ac propè diuinum Auditores, vitæ puritas & innocen-
tia, nullis vnquam vitiorum maculis inquinata, sed
pietatis ac cæterarum virtutum, ceu stellarum splen-
doribus irradiata. Et ad hoc institutum, sancte & re-
ligiosè amplectendum, plurimis ijsdemque maximis
præsidijs instructi sumus. Ipsa anima singulare diui-
nitatis opus, eiusdemque imaginis euidentissimum si-
mulachrum, vitæque perennis & nunquam desiturnæ
vigore prædita, quæ hanc molem corporis ingressa,
tanquam inquilina inhabitat; an non ea de causa, cele-
rem ac perspicacem vim intelligendi sortita est? vt nō
solùm rerum mortalium, originem ac interitus con-
templetur, sed etiam honesti ac turpis rationes, quæ
vitam humanam concernunt, perspectas habeat? Et
cùm varia sint irritamenta malorum, quæ mentem ab
honesto abducunt, & ad vitia pertrahunt; idem ille
author animæ, conscientiam seu iudicium quoddam
de rebus faciendis, aut iam factis, incorruptum com-
plantauit, tanquam assiduum custodem, monitorem
boni, osorem mali, & seuerum admissæ turpitudinis
cenforem. Hæc est, quæ tanquam fax accensa, viam
huius

Oratio atius sancta C

huius vitæ præit, bona à malis discernit, fraudes ac
impedimenta virtutibus posita, illustrat ac denunciat,
& ad honesti labores animosè suscipiendos, hortatur.
Si quis verò spretis illius saluberrimis consilijs, deside-
rijs cupiditatum exardescens, obtemperet, illarumque
ductum ac imperium sequatur, & omnibus flagitijs se
contaminandum exhibeat: tum demum, illa ipsa con-
scientiæ fax, in furias infernales conuersa, sulphureas
ac vtrices peccatorum flamas concipit, miserandisq;
ac irrequietis modis, intimas medullas, instar lethalis
& omnia consumentis ignis, adurendo depascit. Et
meritò quidem homines facinorosi, tantam poenaruim
acerbitatem, intra sua viscera grassantem patiuntur;
siquidem conscientiam, benignissimam & fidelissimā
boni & honesti magistram, sunt aspernati. Non me-
diocre beneficium parentes præstant filijs, cum ab ine-
unte ætate pædagogos præficiunt, qui vbiique locorum
obseruent, nè aliquam corporis sui partem lædant. Lō-
gè hoc maius est, in nos omnes à Deo collatum benefi-
cium, quod nos insitæ conscientiæ, tanquam solertissi-
mæ ministræ, custodiendos demandauit, ne in aliquæ
scopulum peccati allidentes, iuctu ferali, homicidæ ser-
pentis exanimati, concidamus. Nemo igitur excusans
peccatum, dicere potest, (vt testis est D. Chrysostomus)
quod ignorans virtutem negligat, vel quod nō habeat
aliquem viæ ducem, ac demonstratorem; sufficientis-

enjuri

simum

De puritate vite.

Similis enim magistrum conscientiam habemus, & fieri non potest, ut quis illius adiumento destituatur; nam simul cum formatione hominis implantata est scientia, faciendorum & non faciendorum. Hæc est, quæ post quodvis facinus commissum, iudicium instituit, & duxerit exercet, & modò accusatoris personam assumit, prauitatem & turpitudinem malefacti coarguēs; modò, ne quis factum negare audeat, ad iustam criminis probationem, tanquam oculatus testis, ipsa sibi testimonium perhibente conscientia, conuincit; denique tanquam iudex, prolata sententia, ad pœnas inferni damnat. Ex quo, non mediocris quædam perturbatio, & vehemens ac assidua animi tribulatio subsequitur: iam enim illud esse verum experiuntur, quod scriptura sacra minabatur: Non est pax impijs. & Fugit impius nemine persequente, iustus autem quasi leo confidens absque terrore erit. Praeclarè D. Augustinus: Inter omnes tribulationes animæ humanæ, nulla est maior tribulatio, quam conscientia delictorum. Quo configuet cum hanc cæperit pati tribulationem? Fugiet ab agro in ciuitatem, à publico ad domum, à domo in cubiculum, & sequetur tribulatio. A cubiculo iam quod fugiat non habet, nisi interius ad cubile suum. Porro si ibi tumultus est, si fumus iniquitatis, si flamma sceleris, non illuc potest configere: pellitur etiam inde, & cum inde pellitur, à seipso pellitur. Quid mirū,

Oratio

si nusquam consistendi quietum locum inueniat, siquidem conscientiam, amarum accusatorem, secum circumfert? & cum sit suiipsius iudicio damnatus, quod nec ad breue tempus respirare possit? Et in hac amaritudine, tanquam in eculeo suspensa anima, ad externas huius mundi voluptates captandas, se conuertit; ut saltem aliquot solatij ac relaxationis interuallum reperiatur; dolor tamen, tanquam indiuiduus comes sequitur, & vehementer sine vlla intermissione interius vrget, & quouis iucunda luctu miscet, & trepidatione implet, timor vndique & vndiq; inuadit horror, vmbrae formidat, angulos metuit, & vniuersos, quos in conuersatione adhibet, pertimescit. Peccator, inquit D. Ambrosius, quamuis foris abundet, & delicijs diffluat, doloribus fragret, in amaritudine animæ vitam exigit. Vides conuiuum peccatoris? interroga conscientiam eius, nonne grauius fætet omnibus sepulchris? Intueris lætitiam eius? opum abundantiam? introspicie vlcera & vibices animæ eius, & cordis mœstitudinem videbis. Et his quidem continuis doloribus exagata anima, cum amplius hæctorimenta ferre non posset, scelerum conscientia furens, plurimos ad eam infaniā adegit, ut adaptato sibi laqueo, vitam finierint. Hic est finis luctuosus, hic funestus exitus, eorum, qui conscientiæ rectè ac sapienter monenti, obtemperare recusarunt. Vermis eorum non morietur, & ignis eoru

non

De puritate vite.

non extinguetur: Sicut enim vermes ex putredine carnis erumpunt, ita ex fæditate admissi criminis, ingens copia dolorum, tanquam vermium ebullit, qui mentis viscera exedunt; ignis vero, tanquam minister, & vindicta diuinæ iustitiae, diuina eum animante potentia, in æternum duraturis flammis animas excruciat. Et quemadmodum prava, saucia, ac perturbata conscientia, est atrox supplicium impiorum; ita bona, & de puro corde procedens, est quoddam iuge coniunctionum, paradisus deliciarum, varijs honorum operum virgultis consita, varijsque virtutum floribus purpureata, & limpidissimo fonte, suauiter influente, cœlestis gratiae irrigata. Hæc iterum, meritò appellanda est Paradisus, in qua lignum vitae, ac cœlestis sapientiae est plantatum; hæc est thalamus omnipotentis Dei, palatium Christi, habitaculum Spiritus sancti, hæc est thronus Salomonis, hæc lectulus cœlestis spōsi, in quo ipsa conscientia, tanquam sponsa cum vincere dilecto sponsō, iucundissime conquiescit, & delectatur, hæc mentem ab omni immunditia purgat, vermem infernalem excludit, à metu, à doloribus carceris inferni liberat: hæc est illa iucunditas animi, hoc illud oblectamentum cordis, quod nullæ voluptates perturbare, nulla vis tormentorum violare potest. Qua de re sic Lyricus canit:

Iustum & tenacem propositi virum,

Oratio

*Non ciuium ardor, prauaiubentium,
Non vultus instantis Tyranni,
Mente quatit solidam:
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruine.*

Et hanc quidem animi tranquillitatem, incredibili fortitudine firmatam, si inter has mundi procellas, & inter tot insurgentes tentationum tempestates, retinere cupimus, nec ullis aculeis conscientiae exagitari, praceptis conscientiae, in omnibus acquiescamus. Illudque consilium, conseruandæ aut recuperandæ conscientiae, quod D. Chrysostomus tradit, animo retineamus, & reipsa adimpleamus. Optimum est, inquit ille, ne unquam omnino, concipiamus in animo prauam aliquam cupiditatem. Quod si hanc aliquando conceperimus, tamen fætum interius præfocemus; rursus si hucusque fuerimus negligentes, iniquitatem in opus progressam, mox occidamus, per confessio- nem, per propriorum commissorum accusationem. Nihil enim tam exitiale peccato, quam peccati accusatio, condemnatioque cum poenitidine, lacrymisq; coniuncta. Condemnasti peccatum? deposuisti sarcinam. Quis hoc dicit? ipse iudex Deus. Dic tu peccata tua prior ut iustificeris. Deus enim qui in extremo iudicio, exacturus est à nobis rationem delictorum, instituit

Depuritate vite.

stituit in nobis, hunc iudicem incorruptibilem conscientiam, ut is, hic de commissis iudicium reddens, emendatoresque efficiens, ex illo eripiat iudicio, quod & D. Paulus ait: Nam si nos met ipsos iudicaremus, non utique iudicaremur a Domino. Ut igitur, neque iudicemur, neque poenas demus, in suam quisque conscientiam ingrediatur, cunctisque commissis, diligenter excussis, condemnet animam, quae haec patravit, supplicium a se ipso exigat pro peccatis, per diligenter actam poenitentiam, per lacrymas, per confessionem, per ieiunium, per eleemosynam, per continentiam & charitatem. Hucusque D. Chrysostomus. Et ad hanc vitæ integritatem & innocentiam, præter has utilitates conscientiae enumeratas, inuitat nos hoc nostrum institutum, haec vitæ ratio suscepta, qua in excolandis ingenij, & in cognitione scientiarum assequenda, & hominum utilitati tradenda, versamur. Interalia ornamenta, quæ ex honestissimis disciplinis, in genus hominum promanarunt, est hoc non postremum, quod barbariem profligarunt, mores incultos & feris indomititis non absimiles, in quandam elegantiam, studijs humanitatis exultam, transformarunt. Neque vero quisquam, nomine humanitatis illos dignos esse arbitretur, qui verborum lenocinijs, & signis quibusdam externis, ad humanitatem manifestandam compositis, animos hominum tractare, & ad sui amo-

Oratio

rem pellicere norunt. Fucata hæc est humanitas, & quavis horrida barbarie, tanto perniciolor, quanto specie honesti velata, varijsque pigmentis doctrinarum colorata, virus exitiale, deprauatæ vitæ, plurimis propinat, ac interitum innocentiae procurat. Vera & germana humanitas est, & penitus à barbarie vindicata, quæ mentem, primùm omnium diuini numinis cognitione illustrat, illius admirandam bonitatem, sapientiam, virtutem, in huius vniuersi structura, prouidentia, gubernatione, obstupecit: illique, tanquam rerum omnium parenti, debitum venerationis cultum exhibet. Et cum, ex manifestis indicijs, tanquam ex vestigijs, in his inferioribus impressis, Deum esse mentem, ac spiritum purissimum, ab omni concretione materiæ, seiuinctum cognoscit, vitamque nullo à principio inchoatam, & nullo fine terminandam, felicissimam ducere: totum cursum vitæ humanæ, huic perfectissimo exemplari conformare studet, vniuersumq; studium, à corpore ad animam, à vitijs ad virtutes, à sensibus ad contemplationis exercitium transfert: & si hæc terrena membrorum conditio pateretur, in spiritum conuerti cuperet, Deoque vitæ suæ fonti, ad omnium bonorum largitori, conformis euadere. Si verò illius animum contemplari voluerimus, an non verè cælitem deprehendemus? iam ad illius nutum affectus quondam refractarij, ac tumultuantes, virtu-

tum

De puritate vite.

tum imperatarum amore accenduntur: iam sensus igne concupiscentiae extincto, & fallaci desiderio, rerum terrenarum deposito, ad illa bona persequenda feruntur, quæ solius animæ oculis conspicuntur: iam ipsum Deum, sibi imitandum proponit, omnesque animæ suæ vires, hoc, vniuersæ perfectionis absolutissimum speculum, intuens, fingit ac componit; iam animum, à sensibus, & ab his quæ sunt sensibus exposita, abductum, ad rerum diuinorum considerationem dicit; iamque hac cœlesti magistra, & diuinorum mysteriorum interprete, Deum esse, supremum totius vniuersi authorem, agnoscit; iam ipse animus seipsum ingressus, se esse opus illius manuum deprehendit, sumque felicitatem, non in vana opum, honorum, ac voluptatum oblectatione consistere, sed in illo admirando confortio, quo Deo nostro consociati, naturæ illius diuinæ complices efficiemur. Hæc est, Auditores, ex longa ac diuturna doctrinarum cultura, collecta humanitas; nosse Deum, vitæ nostræ principium, eundemque huius nostræ peregrinationis scopum, ac beatissimum portum esse: hoc est demum vere humanum esse, vitijs renunciare, & ad virtutum societatem transire: hoc à nobis, iure quodam meritissimo, studia literarum requirunt, ut mens nostra exuta vitijs, se illi supremæ ac cœlesti menti coniunctam esse sentiat, sibiique in illa regione beatorum, sedem gloriosam

Oratio

riosam parari. Ex quo incredibilis vitæ puritas, iam splendere incipit; nihil enim iam expetendum, nihil in bonis ducendum, quod honestate careat, existimat; & quandam animi firmitatem, & duritiem virilem, ad quiduis pro honestate tolerandum comparatam, præfert. Et ab hoc instituto, longè hi omnes aberrant, qui se ex bonis literis, satis vberes fructus collegisse arbitrantur, si varias totius mundi conuersiones perspexerint, & si sidera innumerabilia cœlo inhærentia, & horum quædam certis infixâ sedibus, quædam verò vagis cursibus, intra tamen definitos limites, exspatrii cognouerint; & si quibus ex initijs, tanquam seminibus, hæc rerum vniuersitas generata, & concreta est, intellexerint; & si de his omnibus cum quædam subtilitate, & ingenij sui iactantia, atque etiam gloria, se posse differere confidant: quamuis laxatis habenis cupiditatum, duce & auspice libidine, in quoduis genus flagitorum, præcipites ruant. Quorum tam miseram sortem, his verbis Apostolus deplorat: Cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euauuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt. O verè insipientes facti, siquidem ipsam æternam sapientiam, signis apertis se manifestantem agnouerunt quidem; sed non sicut Deum glorificauerunt; Deorum verò, qui non sunt dij,

simula-

De puritate vite.

simulachra coluerunt. O verè obscuratum est insipi-
ens cor eorum, qui in consectandis argutijs, & in tor-
quendis argumentorum acuminibus, & in tortuosis
captiunculis struendis, ingenij sui vbertatem effude-
runt, vitam autem', secundùm normam virtutis, for-
mare neglexerunt. O verè euanuerunt in cogitatio-
nibus suis, qui etiam lumine fidei illustrati, totos dies,
duriam maiestatem in ore habebant, mysteria salutis
nostræ elucidabant ; peccati enormitatem, illiusque
in aternum luendas poenas enarrabant , de vita tamen
in melius commutanda, nè in animum quidem indu-
cebant, cogitare. Propter quod & Deus, inquit idem
Apostolus, tradidit illos in desideria cordis eorum :
quænam grauior, & magis acerba poena excogitari
potuit, quam quòd illos Deus tanquam vilia iumenta,
& abiecta mancipia, proprijs desiderijs excarnifican-
dos tradidit ? quorum insatiabilem auditatem , nul-
læ vnquam voluptates , nouis etiam ac frequentatis
modis expertæ, ac iteratæ , explere possunt : & licet,
in hoc gurgite abominandarum rerum , sint demersi,
semper tamen tanquam inexpertes , inusitatis cupiditi-
atum stimulis, ad eas experiendas, sollicitantur. Ad
extremum idem Apostolus addit : Tradidit eos in re-
probum sensum ; sed quis hic quæso reprobus sensus ?
Propheta docet : Aure audietis , & non intelligetis,
videntes videbitis, & non perspicietis , excæcauit cor

C

corum,

Oratio

eorum, aures aggrauauit, oculos clausit. Non abs-
milis haec poena à Tantali, qui in medijs aquis consti-
tutus, siti peribat; nam aqua inclinati fauces, quibus
illam haurire cupiebat, refugiebat. Et hos tantis vi-
tijs contaminatos, quis non meritò dixerit, forma qui-
dem homines circumferre, sed nimio perturbatio-
num æstu, ac immoderato vsu, in feras agrestes trans-
formatos esse. Sed quæso, vbi est illa sperata humani-
tas? quò abijt? tanto labore, ac detimento valetudi-
nis quæsita? Illa quidem virgineo pudore suffusa ge-
nas, præstò erat; sed cùm suum procreatorem, in pro-
positis benè viuendi legibus, aspernari cernebat, illi-
usque non amplitudinem nominis, sed inanis gloriæ
fumos captari, & ad eandem per illius contemptum
grassari, secessit in secretum penetrale, nec se illorum
impudicis oculis conspicere patiebatur. Atque ea de-
causa, qui ab hac Diua humanitate deflectunt, pro ra-
tione affectuum dominantium, in varias belluarum fi-
guras degenerant. Frustra igitur, ingenij sui copias
explicant; frustra eloquentes, frustra sapientes videri
cupiunt, hac enim vna absente omnia vilescunt, om-
nia suum nomen ac pondus amittunt, quilibet enim
ex media plebe, voces se hominum audire, vita au-
tem ac moribus homines requirere respondet. Sed
si hoc exiguum, ad vitæ puritatem conciliandam &
amplectendam videtur, sedulò cogitemus, sapientiam
rem

De puritate vite.

rem esse sacram, eandemque non tam nostris vigilijs, laboribus, contentionibus parari, quam diuino beneficio conferri. Nemo in vas impurum, preciosum liquorem infundit, nec Deus, hoc donum sapientiae sublimae, ac mundissimum in vas cordis flagitorum foribus pollutum, infundet. Sic enim de se, ipsa celestis Sapientia, confitetur: In maleuolam animam non intrabit sapientia, nec habitabit in corpore subiecto peccatis. Scilicet sapientia res est diuina ac tenerima, in ipsis delicijs, ac splendoribus cœlestibus enutrita, vitae sanctitatem ac innocentiam ex se spirans, suoque afflatu odium peccati parit, desideria virtutum accendit, omnem immunditiam ex animo extirpat. Non habitabit in corpore subiecto peccatis. Peccatum & innocentia, sunt duo iurati hostes, qui post conditum hominem, de principatu cordis humani usurpando, graue bellum sunt aggressi, & in mutuam perniciem conspirarunt; & si peccati audacia, prostratis virtutum copijs, humanam mentem ceu arcem occupauerit, nunquam eandem dominante in ea peccato, virtutum procreatrix, & innocentiae custos Sapientia inhabitandæ deliget. Plurimos accepimus, nomine sapientis censeri, quod ingenij sui acumine vibrato, de rebus sublimibus, & quæ humanam intelligentiam transcendunt, prompte ac subtiliter differant, quamuis à suis cupiditatibus in diuersa vitia rapiantur: sed si rem

ex veritate aestimare volumus, quiduis potius, quam
 sapientes sunt dicendi. Isaac Patriarcha, præ nimium
 ingrauescente senectute, oculis captus, palpato filio
 Jacob, dixit: Vox quidem, vox Iacob est; sed manus,
 manus sunt Esau. Ita & hi, sonitu quidem vocis, de
 rebus abstrusis & reconditis instituto, se esse homines
 eosdemque sapientes, & rerumdifficillimarum cogni-
 tione instructos profitentur, sed vita contra leges &
 præscripta sapientiae suscepta, de grege eorum esse,
 qui Curios simulant, & bacchanalia viunt. Sapienter
 alicubi M. Tullius testatur. Cultura animi Philoso-
 phia est, quæ extrahit vitia raditus, & præparat ani-
 mos ad satus faciendos, quæ mandat & ferit, quæ adul-
 ta fructus vberimos ferunt. Et paulò superius: Phi-
 losophus in ratione vite peccans; hoc turpior est, quod
 in officio, cuius Magister esse vult, labitur, artemque
 vite professus, delinquit in vita. Et quemadmodum
 eum qui barbarè loquitur, nemo grammaticum dixe-
 rit, nec musicum qui absurdè canit; ita neque hunc sa-
 pientem, cuius cum vita mirabiliter pugnat oratio.
 Sed ego in re manifesta suadenda, & quæ satis, suapte
 natura animos vestros, amore sui inflammare videtur,
 diutiùs non immorabor. Quis enim non videt, vite
 puritate nihil esse iucundius? nihil ex omnibus rebus
 præstantius? hæc belli tempore nullos impetus, nulla
 pericula pertimescit, hæc in tranquillo Reipub. statu,
 nullum

Depuratae vitæ.


nullum aucupium auræ popularis exèrcet, sed communem salutem, sapientissimis consilijs promouet, causam religionis, publici boni defensionem, etiam cum vitæ suæ discrimine, quod gloriosum esse iudicat, suscipit. Et quemadmodum impios, malefactorum recordatio, continuis doloribus, ac terroribus exagitat, ut nusquam quiete frui possint. Ita viro bono, maxima est consolatio, vitæ benè actæ conscientia; mens verò omnis impuritatis expers, murus illi aheneus, triplex circa pectus clypeus, nullas aduersitates inimicorum expauescens. Quid verò hoc nostrum studium, quod tam diuinis, quam humanis sciencij cognoscendis, impendimus? an non eo animo susceptum est? ut quibus in rebus, dignitas hominis, illiusque munera ac officij rationes consistant, diligenter ediscamus? & ut mens nostra, Deo tanquam conditori, & moderatori suo subiecta, terrenæ voluptatis blandimenta contemnat; & ut in nostro mortali corpore, regnare peccatum non permittamus; & ut hic principatus rationis, sub Deo præside, diuinorum auxiliarum munitione firmatus, nullis spiritualium nequitiarum ausibus labefactetur. Sin verò illud tempus recordari voluerimus, quo discessum à corpore parabimus, quam tunc multiplices cogitationes, nunc benè, nunc malè gestorum, animum inuadent ac distrahent? Hoc erit illud tempus, in quo anima peccatoris,


Oratio

toris, multitudine peccatorum grauata, decernet: æquitatis esse, ut cum Deus, & hominis & illius actionum sit finis, omnem illum actum, qui Deo honorem auferebat, debita punitione in se castiget. Anima verò iusti, virtutum quas pro vita suæ conditione, ac officio, operata est, commemoratione exhilarata; illud D. Pauli, de misericordia Dei confidens, exultanti animo dicet: Bonum certamen certavi, cursum consumavi, fidem seruavi, reposita est mihi corona, quam reddet mihi iustus iudex. Faxit Deus, Auditores, ut in hac voce tam fælici, spiritu nostro, ex hoc erga stculo corporis egrediamur, diuinoque conspectui veniam peccatis nostris misericorditer condonati, sistamur; stolaque immortalitatis induiti, tanquam fideles ferui, in gaudium Domini nostri ingrediamur,



Bind. 20





18590

6146
26

